

MARTIAL: EPIGRAMS

I.1

Hic est quem legis, ille quem requiris,
toto notus in orbe Martialis
argutis epigrammaton libellis:
cui lector studiose, quod dedisti
viventi decus atque sentienti,
rari post cineres habent poetae.

I.10

Petit Gemellus nuptias Maronillae
et cupit et instat et precatur et donat.
adeone pulchra est? immo foedius nil est.
quid ergo in illa petitur et placet? tussit.

I.32

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare:
hoc tantum possum dicere, non amo te.

II.8

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in istis
sive obscura nimis sive Latina parum,
non meus est error: nocuit librarius illis
dum properat versus annumerare tibi.
quod si non illum sed me peccasse putabis,
tunc ego te credam cordis habere nihil.
'ista tamen mala sunt.' quasi nos manifesta negemus!
haec mala sunt, sed tu non meliora facis.

V.33

Carpere causidicus fertur mea carmina: qui sit
nescio. si sciero, vae tibi, causidice!

VI.60

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos,
meque sinus omnes, me manus omnis habet.
ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

VIII.69

Miraris veteres, Vacerra, solos
nec laudas nisi mortuos poetas.
ignoscas petimus, Vacerra: tanti
non est, ut placeam tibi, perire.

IX.46

Gellius aedificat semper: modo limina ponit,
nunc foribus claves aptat emitque seras,
nunc has, nunc illas reficit mutatque fenestras:
dum tantum aedificet, quidlibet ille facit,
oranti nummos ut dicere possit amico
unum illud verbum Gellius 'aedifico'.

XII.56

Aegrotas uno decies aut saepius anno,
nec tibi sed nobis hoc, Polycharme, nocet:
nam quotiens surgis, soteria poscis amicos.
sit pudor: aegrota iam, Polycharme, semel.